

¶ Capuæ ad S. Benedictum in pauimento,

TE TIBI VNA QVE ES OMNIA DEA ISIDIS ARRIVS BALBINVS. V. C.

¶ Placuit huc ponere ob rei cōmoditatem, quæ à nōnullis traduntur scriptoribus, Osiridis videlicet & Isidis deorum sepulchra in Nyfa Arabiæ sita esse, & illhic vtriq; dicatam columnam sacris sculptam litetis inq; Isidis columna hæc scripta est,



EGO ISIS SVM AEGY.
PTI REGINA A MERCV.
RIO ERVDITA, QVAE
EGO LEGIBVS STATVI
NVLLVS SOLVET. EGO
SVM. MATER OSIRIDIS.
EGO SVM PRIMA FRV.
GVM INVENTRIX. EGO
SVM ORI REGIS MATER
EGO SVM IN ASTRO CA.
NIS REFVLGENS, MIHI
BVBASTYA VRBS CON.
DITA EST. GAVDE GAV.
DE AEGYPTE, QVAE ME
NVTRISTI.

ISIDI cur cornua
iunguntur.

¶ Veteres addunt cornua capiti eius, cum propter aspectum ita enim Luna videtur quo tempore primis diebus apparet, tum quia Bos ei ab Aegyptiis, apud quos summa in veneratione habetur, sacrificatur.

¶ Nomina ISIDIS.

Quidam Isidem, alii Cererem, quidam Thestophoriam, alii Lunam, nonnulli lunonem, alii alio nomine appellant.